



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Sectio j. Dubitationis Resolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

- 12 Ex dictis sequitur, quod pœnas Motus Gregorij XIII. nec contrahant ingredientibus, qui habent dictas facultates, si ingrediuntur non facultatibus innitentes, sed quasi illas non habentes; nec dictas pœnas contrahant sic ingredientem admittentes, quia tunc tales non dicuntur ingredi, nec ingredientem admittente virtute alicuius facultatis: quod ad contrahendas dictas pœnas requiritur, ut constet ex illis verbis: *Præcipimus, &c. ne in Monasteria, domus, & loca sua quemquam præ exu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.* Vide Nauarrum *comment. 4. numero 62. notab. 4. de Regular. & Rodriguez in Exposit. Motus Pij V. qui incipit: Regularium personarum.*
- 14 Dices, saltem admittens ingredientem Monasterium Monialium, non virtute prædictarum facultatum contrahit excommunicationem latam in Tridentino *sess. 25. de Regul. c. 5.*
Respondetur, nego antecedens, quia Tridentinum ibi excommunicationem infert in egredientes, nullam mentionem faciens de admittentibus. Vide *dub. 61.*
- 15 Instabis, admittens incurrit excommunicationem, quia participat cum ingrediente in crimine criminoso, iuxta *cap. nuper, & cap. si concubina, de sentent. excommunic.*
Respondetur nego antecedens, quia ad excommunicationem (propter dictam participationem) incurrendam requiritur excommunicationem, cum quo quis in crimine criminoso participat, esse publicè de illa excommunicatione denunciatum (ut communiter docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 48. num. 4.*) quod non est in nostro casu.
- 16 Caterum, an non solum ingrediens prætextu facultatum, quas nouit irritas esse ob reuocationem Gregorij XIII. sed etiam ingrediens prætextu facultatum inualidè obtentatum ob subreptionem, vel aliam causam, contrahat excommunicationem, & pœnas dicti Motus Gregorij XIII.
Respondetur etiam probabilius negatiuè; quia Pontifex loquitur de ingredientibus prætextu facultatum, quas ipse reuocat, ibi: *Ipsum licentiarum prætextu; ac reuocatio non cadit super licentias inualidas, & nullas; quia non reuocatur, quod non est, cum non entis nullæ sint partes, & qualitates; idemque dicitur de dispositione Pauli V. Monialium statui, de qua dicebam supra dubitat. 54.*
- Obiicies, nomine prætextus venit non solum vera causa, sed etiam ficta: ergo etiam ingrediens prætextu facultatum inualidè obtentatum contrahit pœnas.
- 18 Respondetur, nomine prætextus non venire quamlibet causam, sed solum illam, de qua in casu sermo est: in casu autem nostro sermo est de ingredientibus prætextu licentiarum, quas Summus Pontifex reuocat.
- 19 Obiicies secundò, idem est ingredi ex facultate valide obtenta, sed iam reuocata, ac ingredi ex facultate inualidè obtenta, cum utraque viribus careat, & ius vllum non conferat.
- 20 Respondetur, idem esse quoad ius ingrediendi, non autem quoad pœnas ingredientibus impositas. Addo, eum qui tempore ingressus fingeret se habere facultatem ingrediendi Monasterium Monialium obtentam post dictum Motum Gregorij XIII. nec contrahere pœnas talis Motus, quia sicut istas

Thom. Deibene de Immunit. Eccl. Pars II.

pœnas non contrahit, qui ingreditur ex vi facultatis ab Episcopo obtentæ post prædictum Motum (et si illa alio titulo inualida sit) cum in dicto Motu non irritentur licentiæ in futurum obtinendæ; ita neque pœnas dicti Motus contrahit, qui ingreditur ficta facultate, seu licentia: contrahit tamen excommunicationem Tridentini *sess. 25. cap. 5.* (de qua dicebam *cit. dub. 54.*) quia reuerà ingreditur sine licentia.

DUBITATIO LIX.

An contrahat pœnas dicti Motus Gregorij XIII. quilibet ingrediens virtute prædictarum facultatum quomodocumque culpabiliter, vel solum culpabiliter ex scientia? Vbi etiam de ingredi faciente, vel permittente?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIVM.

- 1 *Ingrediens virtute facultatum culpabiliter ex scientia, & sic ex audacia, & presumptione, atque adeo ex ignorantia non quacumque, licet quantumque culpabili, & crassa; sed solum ex ignorantia adeo crassa, & supina, ita ut repulsetur ingens temeritas, contrahit pœnas dicti motus Gregorij XIII.*
- 2 *Verbum audere temeritatem exigit.*
- 3 *Ignorantia solum crassa & supina, & non qualibet alia est sufficiens ad contrahendas pœnas auarienti- bus statutas.*
- 4 *Ignorantia nedum crassa & supina, sed etiam affectata excusat à censura lata contra scienter facientes, & cur.*
- 5 *Ignorantia affectata æquualet scientia quoad incurrendam culpam contra legem, non tamen æquualet scientia quoad incurrendam pœnam contra legem.*
- 6 *Qui eligit nescire ut liberior delinquat, videtur grauius contemnere legem; peccatum tamen illud dicitur grauius per relationem ad actum voluntatis, quo voluit quis ex proposito ignorare, non autem secundum se, & absolutè consideratum.*
- 7 *Quod scienter fit est voluntarium in se, ac directè: quod autem fit per ignorantiam affectatam, est voluntarium tantum in causa, & indirectè, scilicet in ipsa ignorantia.*
- 8 *Dispositio loquens de scientia non comprehendit ignorantiam affectatam ex proprietate sermonis; sed ex quadam extensione, & in materia pœnali non debet fieri extensio de casu ad casum, etiam si ex larga significatione vocabuli posset ille casus comprehendi.*
- 9 *Presumptio importat temeritatem, & malitiam, quæ excludat omnem ignorantiam.*
- 10 *Ignorantia affectata non æquiparatur scientia vera, sed scientia ficta.*
- 11 *Constitutio pœnalis loquens de casu vero non comprehendit casum fictum.*
- 12 *Pœna imposita heredi non vindicanti necem defuncti*

non comprehendit fideicommissarium, qui est haeres fictus.

- 13 Lex, quae punit occupantem rem alterius, non comprehendit occupantem rem hereditariam, quae ficta, & non verè est alterius.
- 14 Poena illius legis, quae imponitur maiori venienti contra iuramentum, non ligat minorem venientem contra iuramentum suum.
- 15 Minor iurans reputatur maior ratione iuramenti per fictionem iuris, à qua fictione poena recedit.
- 16 Constitutio noua loquens in casu vero quando, & quomodo comprehendat casum fictum.
- 17 Clerici non residentes de iure communi fructus Beneficiorum non percipiunt, exceptis infirmis, & existentibus in seruitio Papa, & duobus Canonicis existentibus in seruitio Episcopi, cum hi residere censentur, & per nouam constitutionem superuenientem non includantur supradicti casus, à iure communi excepti.
- 18 Constitutio disponens idem quod ius commune debet recipere omnes limitationes, & interpretationes iuris communis; at secus est quando constitutio noua esset prae, vel contra ius commune.
- 19 Ignorantia affectata minor est quam scientia.
- 20 Verbum (saltem) denotat diminutionem.
- 21 Ignorantia affectata, nedum crassa, & supina quacumque, siue iuris, siue facti excusat à censuris in casu supradicto.
- 22 Limita id verum tantum esse in dispositionibus, seu legibus odiosis, non autem in fauorabilibus.
- 23 Leges fauorabiles loquentes in casu vero, extenduntur etiam ad casum fictum.
- 24 Ignorantia affectata, siue iuris, siue facti excusat legentes libros Hæreticorum ab excommunicatione lata contra scienter legentes, contra nonnullos oppositum tenentes.
- 25 Operantes quodcumque aliud ex ignorantia, siue iuris, siue facti affectata, non contrahunt poenam contra facere aliquid presumentes, aut casu temerario facientes latam.
- 26 Ignorantia affectata excusat violentam clausuram Monialium à contrahenda excommunicatione lata à Gregorio XIII. contra clausuram violare presumentes.
- 27 Ignorantia affectata excusat loquentes cum Monialibus à contrahenda excommunicatione lata ab Ordinario contra loquentes sine licentia.

Respondetur, illas contrahere solum, qui ingreditur virtute facultatum culpabiliter ex scientia; & sic ex audacia, & presumptione, atque adeo ex ignorantia non quacumque, licet quantumcumque culpabili, & crassa; sed solum ex ignorantia adeo crassa, & supina, vt reputetur ingens temeritas. Ratio est, quia ibi dicitur: Ne ipsarum licentiarum prae-textu Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeat. Et ex alio capite ly audere temeritatem exigit, itavt solum ignorantia tam crassa, & supina, quam dicebam, & non quaelibet alia sufficiat ad contrahendas poenas audientibus statutas, sicuti contra Toletum lib.1. cap.48. & Alterium de censuris disputat.12. cap.5. §. hoc autem, docent Sanchez de matrim. lib.9. disputat.32. num.40. Nauar. comment.4. de Regular. num.62. Molina tract.5. disputa.71. numero13. Auila de censur. part.2. cap.6. disputa.10. dubit.6. Pontius de matrim. lib.10. cap.6. numero10. Curiel. in part.2. questione76. art.4.

dubit.4. Diana part.3. tract.5. resol.13. Suarez de censur. disput.4. sect.10. numero2. & Henric. lib.13. cap.23. numero3. Vide quæ dicebantur cap.16. dubitat.36. numero3. & cap.17. dubitat.1. numero10.

Et hoc, quod modò dixi, adeo verum est, vt lib.4. de Parliamentis, dubit.4. sect.19. subsect.31. pag.78. plus defenderim, scilicet quod si, vt in calu nostro, quem dicebam, excommunicatio, vel quacumque alia censura, aut poena feratur contra scienter facientes, non contrahat illam is, qui contra facit, etiam ex ignorantia affectata, nedum ex ignorantia crassa, & supina quacumque talis poena: atque ita contra Gloss. clem.1. de consang. Francum cap.2. de const. in 6. S. Antoninum 3. part. tit.24. cap.34. Rosellam excommunicatio 1. cas.43. numero2. Syluest. excommunicatio 9. cas.41. numero76. Tabienam excommunicatio 5. cas.46. num.3. notab.2. Graff. 1. part. decis. lib.4. cap.9. num.38. Henriquez lib.13. de excommunicat. cap.23. num.13. Suarez tomo5. in 3. part. disputa.4. sect.10. numero1. Sanchez lib.9. de matrim. disputa.32. numero40. Molinam tract.5. de iust. disputa.71. numero13. Layman lib.1. tract.5. cap.5. numero8. docent Sanchez tacite se retractans lib.2. Moral. cap.10. numero38. Duardus in Bull. Can. lib.1. quaestione36. numero3. Anguianus de legibus, tom.1. lib.4. controu.4. numero18. Bonaeina de censur. disp.2. quaest.5. punct.4. numero9. & in Bull. Can. tom.3. disput.1. quaestione2. punct.4. numero9. Filliucius tom.2. tract.2. cap.7. numero205. Pasqualigus in cit. decis.376. numero4. Diana part.3. tract.5. resol.13. & alij.

Primò, quia verba legis poenalis non sunt extendenda ultra proprium significatum, sed potius sunt restringenda, iuxta reg. odia, de reg. iur. in 6. at qui ex ignorantia affectata, nedum ex ignorantia crassa, & supina quacumque aliquid facit contra legem, verè non facit scienter contra legem: ergo non incurrit in poenam contra scienter facientes latam à lege, licet enim faciat ex ignorantia affectata contra legem, & id causetur à culpa, adhuc tamen non scienter facit contra legem; & sic licet ignorantia affectata æquivalcat scientiae quoad incurrendam culpam contra legem, non tamen æquivalcat scientiae quoad incurrendam poenam contra legem: hæc enim imponitur solum aduersus scienter facientes contra legem.

Non obstat, quod peccatum ex ignorantia affectata commissum, grauius sit, quam si ex certa scientia committeretur, ex eo quia qui eligit nescire, vt liberius delinquit, videtur grauius contemnere legem, vt dicitur in 1. 2. questione6. art.8. Non obstat, inquam; nam dicitur peccatum illud grauius, per relationem tantum ad actum internum voluntatis, quo voluit quis ex proposito ignorare, vt liberius legem violaret (eo enim actu videtur magis legem contemnere:) at verò secundum se, & absolute consideratum, est minus graue, cum sit minus voluntarium, quam si ex certa scientia committeretur, quia quod scienter fit, est voluntarium in se, ac directe; quod autem fit per ignorantiam affectatam, est voluntarium tantum in causa, & indirecte, scilicet in ipsa ignorantia: cum igitur excommunicatio non puniat principaliter actum internum, sed actum externum, verbi gratia die Veneris comestionem carnis secundum se consideratam, quæ comestio fit ignoranter die Veneris;

neris; manifestè sequitur, vescentem carnibus ex ignorantia affectata, die Veneris, non contrahere excommunicationem contra scienter carnem die veneris comedentes latam: & hoc verum est, etiam si actus ille voluntatis, quo ignorantia affectatur, actu perseveret, quando fit violatio exterior legis, quia eadem est ratio utrobique.

8 Secundo, quia quod dispositio loquens de scientia, comprehendat ignorantiam affectatam, non est ex proprietate sermonis, sed ex quadam extensione, *cap. eos qui, de tempor. Ordin. lib. 6. vers. seu affectata ignorantia*, quod verbum est ampliativum præcedentis sermonis, *leg. si quis iura legaverit, ff. de acq. & argenti, leg. at in materia penali non debet fieri extensio de casu ad casum, præsertim si non sit omnimoda ratio, leg. penult. & leg. fin. Cod. de interd. matrimon. inter tut. & pupill. etiam ex larga significatione vocabuli posset ille casus comprehendere, *leg. si uxor, in princip. ff. ad leg. falam de adul. ergo, &c.* Vide Franc. Aret. in *cap. per tuas, de probat. Caietan. verb. Excommunicatio, capite 81. Nauarrum cap. 27. num. 24. & in cap. si iunius, num. 62. & Lezanam como 1. cap. 10. num. 33.* qui rectè aiunt, quod præsumptio importet temeritatem & malitiam, quæ excludat omnem ignorantiam.*

10 Tertiò, quia ignorantia affectata non æquiparatur scientiæ veræ, sed scientiæ fictæ, *cap. cum inhibito, de claud. despons. ibi: Cum non inexpleret scientia, vel saltem affectatior ignorantia videatur*; quod verbum, *videatur*, importat fictionem, *leg. 1. ff. de vi, & vi arm. sed constitutio penalis loquens de casu vero, non comprehendit casum fictum, leg. antiquum, ff. ad Senat. Consul. Syll. & leg. seq. & notat Franc. Aret. in leg. 1. ff. de vulg. & pupill. ubi*

11 *pœna imposita hæredi non vindicanti necem defuncti, non comprehendit fideicommissarium qui est hæres fictus, leg. filius, §. de eo, quod cert. loc. & facit, quod notat Bartol. in leg. ultim. Cod. unde vi, ubi dicit, quod illa lex, quæ punit occupantem rem alterius, non comprehendit occupantem rem hæreditariam, quæ ficta, & non verè est alterius, leg. 1. §. 1. ff. de rer. diuis. & leg. hæres quinque, ff. de acquir. hered. Unde docet idem Bartol. (quem Doctores sequuntur) in leg. si quis maior, Codice*

12 *de transact. quod pœna illius legis, quæ imponitur maiori venienti contra iuramentum, non ligat minorem venientem contra iuramentum suum, quia licet minor iurans reputetur maior ratione iuramenti, ausent. iuramenta puer. Codice si adversus vendit. id est per fictionem, ideo lex illa non habet locum in eo, qui à iure dicitur maior.*

13 Non obstat, si dicas, quod quando casus verus, & casus fictus æquiparantur à lege antiqua, seu à iure communi, tunc etiam constitutio noua, quæ aliàs est strictè interpretanda, loquens in casu vero, comprehendat etiam casum fictum, *cap. cum dilectus, & cap. ad audientiam, de cleric. non resident. ubi Imol. & Panormitan. Sed scientia, & ignorantia affectata æquiparantur in dict. cap. eos qui, de tempor. Ordin. lib. 6. Ergo, &c.*

14 Respondetur enim cum Panormitano loco cit. Maiorem esse tantum veram, quando Constitutio noua disponit idem, quod ius commune, quod æquiparat illos duos casus, verbi gratia de iure communi est, quod clerici non residentes fructus beneficiorum non percipiant: excipiuntur infirmi, & existentes in seruitio Papæ, & etiam duo Canonici existentes

in seruitio Episcopi (cum hi residere censeantur, *cap. cum dilectus, & cap. ad audientiam, de cleric. non resident.*) si deinde aduenit aliqua noua Constitutio simpliciter disponens, ut clerici non residentes, seu absentes, fructus beneficiorum non percipiant, non includet supradictos casus à iure communi exceptos, quamvis infirmi, & existentes in seruitio Papæ, vel Episcopi, non verè, sed fictione Iuris, residere dicantur; quinimodò verificabitur etiam in casu ficto, qui habetur pro vero, & sic adest casus, in quo Constitutio loquens de casu vero, verificetur etiam in casu ficto, contra notata in l. 3. §. hæc verba, ff. de reb. gest. & in cap. in nostra, ff. de iur. quod idè est, quia ius commune in hoc æquiparat casum verum, & fictum: quapropter constitutio disponens idem, quod ius commune, debet recipere omnes limitationes, & interpretationes Iuris communis, ut ait Panormit. in *cap. cum dilectus, & cap. ad audientiam.* At secus est, quando Constitutio noua esset præter, vel contra ius commune: nam tunc constitutio noua non verificatur in casu ficto, sed verba eius debent intelligi proprie, id est secundum proprium significatum, & sic intelligitur illa lex 3. §. hæc verba, & caput in nostra, citatum.

15 Quarto, quia minor est ignorantia affectata, quam scientia, *cap. inhibito, de claud. despons. ibi: Vel saltem affectatior ignorantia, quod verbum, saltem, denotat diminutionem, cap. penult. de donat. inter virum, & uxorem.* Sed dispositio penalis non debet extendi de maiori ad minus, l. si uxor, in princip. ff. ad legem Iuliam de adul. Ergo, &c.

Et hoc, quod dixi, scilicet quod ignorantia affectata, nedum crassa, & supina quæcunque excuset à censuris in casu nostro, quem dicebam, verum etiam videtur, siue ignorantia affectata sit iuris, siue facti, quia utrobique est eadem ratio: limito tamen, quod id verum tantum videatur in dispositionibus, seu legibus odiosis, non item in favorabilibus. Ratio est, quia omnes rationes supra adductæ locum habent solum in odiosis: huiusmodi enim dispositiones sunt restringendæ potius quam ampliandæ; & propterea non extenduntur de casu vero ad casum fictum. At in favorabilibus secus dicendum videtur, quia hæc sunt potius ampliandæ, quam restringendæ; & idè non est mirum, si hæc loquentes de iis, qui scienter aliquid faciunt, extendantur etiam ad eos, qui ex ignorantia affectata operantur: nam cum scienter, & ex proposito ignorare velint, ad hoc, ut liberius actionem prohibitam faciant, dicuntur aliquo modo scienter violare legem: licet enim legis illa violatio non sit eis scienter, & expressè, ac directè voluntaria per modum effectus, est tamen scienter, ac directè, seu expressè voluntaria per modum obiecti, hoc est, scienter, & expressè volita: unde ex communi sententia Doctorum, leges

16 favorabiles loquentes in casu vero, extenduntur etiam ad casum fictum. Ergo dicendum, quod licet ignorantia affectata non sit verè scientia, sed ficta, lex favorabilis tamen loquens de facientibus aliquid scienter, extendenda sit etiam ad eos, qui faciunt ex ignorantia affectata, ob rationem iam dictam.

Hinc qui ex ignorantia siue iuris, siue facti affectata legunt libros hæreticorum, non contrahunt excommunicationem contra scienter legentes latam in Bulla Cæne. Sanch. Duard. & Bonacin. in locis supra cit. quamvis alij ex eodem principio sentiant contrarium: nam cum prædicta lex Ecclesiæ prohibens sit principaliter (inquiunt ipsi) in favorem fidei, & animarum, non est penalis, seu odiosa, & sic

restringenda, sed potius fauorabilis, & sic amplianda, sicuti præter alios docet Suar. in tract. de fide, disp. 20. §. 1. num. 20.

Hinc secundo, qui etiam ex ignorantia, siue iuris, siue facti, affectata operantur quodcumque aliud, non contrahunt poenam contra facere aliquid præsumentes, aut ausu temerario facientes latam, vt in casu nostro, verbi gratia qui ex ignorantia affectata violant clausuram Monialium, non contrahunt excommunicationem latam à Gregorio XIII. contra clausuram violare præsumentes; nec qui ex ignorantia affectata loquuntur cum Monialibus, contrahunt excommunicationem latam contra loquentes cum illis sine licentia Ordinarij (quæ excommunicatio similiter contra præsumentes lata est, saltem in aliquibus locis, vt Neapoli:) & ratio horum est, quia ex dictis, quamvis qui ex ignorantia affectata facit contra legem, videatur præsumere, ac ausu temerario facere contra legem, cum eligat nescire, vt liberius possit violare legem: tamen quia præsumptio, ac temeritas ista non afficit formaliter actum externum, cui principaliter poena imposita est à lege, sed afficit actum internum; sequitur quod quamvis affectans eo modo ignorare, vt liberius delinquat contra legem, possit dici præsumptuosè, ac temerè velle transgressionem legis, per modum obiecti; non tamen sequitur, quod cum facit actum externum cui principaliter poena imposita est à lege, præsumptuosè, & ausu temerario faciat contra legem; cum reuera, quando operatur, non cognoscat se facere contra legem; quare meritò non contrahit poenam contra facere aliquid præsumentes, vel ausu temerario facientes latam à lege, quamvis alij ex eodem principio (vt supra dicebam) probabiliter sentiant oppositum, quia (inquiunt ipsi) vtraque censura prædicta, cum principaliter in fauorem animarum, & Religionis lata sit, non est poenalis, seu odiosa, & sic restringenda; sed fauorabilis, & sic amplianda.

SECTIO II.

An hæc eadem scientia, audacia & præsumptio requiratur etiam in ingredi faciente, vel permittente virtute dictarum facultatum, vt ipse similiter contrahat poenas supradictas.

SUMMARIVM.

- 1 Ignorantia crassa, & supina, excepta qualibet alia minori ignorantia, non excusat à censuris latis in Motu Gregorij XIII. Prælatos & Prælatos aliquem ingredi vigore facultatum facientes, vel permittentes; excusat tamen in Bulla Pauli V.
- 2 Ignorantia etiam vincibilis, & culpabilis, modo non sit crassa, & supina, quando in excommunicatione contrahenda non requiritur scientia, audacia, & præsumptio, probabiliter excusat ab illa contrahenda.
- 3 Censura non contrahitur sine contumacia, & quodam virtuali contemptu.
Censura, seu legis Ecclesiastica contemptor esse non videtur, qui eas prædictas ignorantia ignorat.
- 4 Censuræ sunt institutæ ad medendum, non ad periculum animabus iniiciendum.
- 5 Amplia dictam doctrinam locum habere in ignorantia non tantum crassa, & supina, sed etiam in inconsideratione, & obliuione legis, vel præcepti Ecclesiastici similiter non crassa, & non supina.
- 6 Amplia non solum prædicta locum habere in ignorantia iuris, sed etiam ignorantia facti, verbi gratia si nescias Clericum esse quem percussus; & nihil refert quod deus opera rei illicita.
- 7 Ignorantia tollit voluntarium circa obiectum, quod ignoratur.
- 8 Amplia prædicta locum habere, etiam si ignorantia sit concomitans, v. g. si paratus sis percutere, etiam si scires esse Clericum.
- 9 Censura Ecclesiastica non fertur propter internam operantis dispositionem habitualement, vel actualement, sed propter externam Ecclesiastici præcepti contumacem transgressionem.
- 10 Ecclesia, cum non iudicat de occultis, non punit interno affectu delinquentes.
- 11 Amplia dicta de censuris procedere in irregularitate, & restituendi obligatione.
- 12 Amplia prædicta procedere in scientie etiam opus Ecclesie præcepto esse prohibitum, si tamen ignoretur ei annexam esse censuram.
- 13 Doctrina tradita de censuris, intelligi debet contra nonnullos etiam de aliis poenis, præsertim de irregularitate, quæ ex delicto contrahitur, iuxta probabilem opinionem.
- 14 Confessorius inferior potest etiam absolvere à casibus in Bulla Cæne contentis, si peccatum, quod Poenitens commisit, ignorantiam, obliuionem, vel inaduerentiam saltem non crassam, seu supinam reservationis habet.
- 15 Reservatio est veluti poena, & poenam saltem in foro externo probabiliter non contrahit ignorans ignorantia prædicta, sed solum contumax, & poena contemptor.
- 16 Delinquens vt incurrat poenam iuris positam ex delicto, non sufficit vt cognoscat, & aduertat actu opus esse peccaminosum, nec sufficit vt præterea cognoscat, & aduertat actu esse illud prohibitum à iure positivo, nisi cognoscat sub tali poena esse prohibitum.
- 17 Limita doctrinam traditam de ignorantia excusante à contrahendis censuris, non procedere in ignorantia crassa, seu supina, & multò minus in affectata, seu directè volita.
- 18 Ignorantia volita voluntarium culpa non minuit, quia potius malitiam directam, seu ex proposito, & dolum formalem includit.
- 19 Ignorantia crassa, & supina directam malitiam, ac dolum formalem non continet, sicut continet ignorantia affectata.
- 20 Ignorantia si sit nimis crassa in externo foro, interdum ignorantia affectata, & dolo equiparatur.
- 21 Ignorantia vincibilis, & culpabilis non excusat à peccatis, excusat tamen à censura, & ceteris poenis.
- 22 Censura non incurritur ab eo, qui ex metu graui mortis, infamie, &c. transgreditur legem naturalem, si tali transgressionem sit annexa censura, licet peccet contra legem.
- 23 Censura non incurritur à contrahente, & consummante graui metu inducto matrimonio cum consanguinea, licet non mortaliter peccet.